

TIBULLE

ELEGIES (1928 vers)

T 1_1 v.1 Divitias alius fulvo sibi congerat auro
 2 et teneat culti jugera multa soli,
 3 quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
 4 Martia cui somnos classica pulsa fugent :
 5 me mea paupertas vita traducat inertī,
 6 dum meus adsiduo luceat igne focus,
 7 ipse seram teneras maturo tempore vites
 8 rusticus et facili grandia poma manu,
 9 nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
 10 praebeat et pleno pingua musta lacu.
 11 Nam veneror seu stipes habet desertus in agris
 12 seu vetus in trivio florida sarta lapis ;
 13 et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
 14 libatum agricolae ponitur ante deo.
 15 Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
 16 spicea, quae templi pendeat ante fores ;
 17 pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
 18 terreat ut saeva falce Priapus aves ;
 19 vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
 20 custodes, fertis munera vestra, Lares ;
 21 tunc vitula innumeros lustrabat caesa juvencos,
 22 nunc agna exigui est hostia parva soli :
 23 agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
 24 clamet "io ! messes et bona vina date."
 25 Jam modo jam possim contentus vivere parvo
 26 nec semper longae deditus esse viae,
 27 sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
 28 arboris ad rivos praetereuntis aquae ;
 29 nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
 30 aut stimulo tardos increpuisse boves ;
 31 non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
 32 desertum oblita matre referre domum.
 33 At vos exiguo pecori, furesque lupique,
 34 parcite : de magno est praeda petenda grege.
 35 Hic ego pastoremque meum lustrare quot annis
 36 et placidam soleo spargere lacte Palem.
 37 Adsitis, divi, neu vos e paupere mensa
 38 dona nec e puris spernite fictilibus :
 39 fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
 40 pocula, de facili composuitque luto.
 41 Non ego divitias patrum fructusque requiro,
 42 quos tulit antiquo condita messis avo :
 43 parva seges satis est, noto requiescere lecto
 44 si licet et solito membra levare toro.
 45 Quam juvat immites ventos audire cubantem
 46 et dominam tenero continuisse sinu
 47 aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
 48 securum somnos igne juvante sequi !

49 Hoc mihi contingat : sit dives jure, furorem
 50 qui maris et tristes ferre potest pluvias.
 51 O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
 52 quam fletat ob nostras ulla puella vias.
 53 Te bellare decet terra, Messalla, marique,
 54 ut domus hostiles praeferat exuvias :
 55 me retinent vinctum formosae vincla puellae,
 56 et sedeo duras janitor ante fores.
 57 Non ego laudari curo, mea Delia : tecum
 58 dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer ;
 59 te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
 60 te teneam moriens deficiente manu.
 61 Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
 62 tristibus et lacrimis oscula mixta dabis ;
 63 flebis : non tua sunt duro praecordia ferro
 64 vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.
 65 Illo non juvenis poterit de funere quisquam
 66 lumina, non virgo, sicca referre domum ;
 67 tu Manes ne laede meos, sed parce solutis
 68 crinibus et teneris, Delia, parce genis.
 69 Interea, dum fata sinunt, jungamus amores :
 70 jam veniet tenebris Mors adoperta caput ;
 71 jam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
 72 dicere nec cano blanditias capite.
 73 Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
 74 non pudet et rixas inseruisse juvat ;
 75 hic ego dux milesque bonus : vos, signa tubaeque,
 76 ite procul, cupidis volnera ferte viris,
 77 ferte et opes ; ego conposito securus acervo
 78 dites despiciam despiciamque famem.

T 1_2 v.1 Adde merum vinoque novos conpesce dolores,
 2 occupet ut fessi lumina victa sopor,
 3 neu quisquam multo percussum tempora baccho
 4 excitet, infelix dum requiescit amor.
 5 Nam posita est nostrae custodia saeva puellae,
 6 clauditur et dura janua firma sera.
 7 Janua difficilis domini, te verberet imber,
 8 te Jovis imperio fulmina missa petant.
 9 Janua, jam pateas uni mihi victa querellis,
 10 neu furtim verso cardine aperta sones,
 11 et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
 12 ignoscas ; capiti sint precor illa meo :
 13 te meminisse decet quae plurima voce peregi
 14 supplice, cum posti florida sarta darem.
 15 Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle ;
 16 audendum est : fortes adjuvat ipsa Venus ;
 17 illa favet seu quis juvenis nova limina temptat
 18 seu reserat fixo dente puella fores ;
 19 illa docet molli furtim derepere lecto,
 20 illa pedem nullo ponere posse sono,
 21 illa viro coram nutus conferre loquaces
 22 blandaque conpositis abdere verba notis ;
 23 nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat
 24 nec vetat obscura surgere nocte timor.
 25 En ego cum tenebris tota vagor anxius urbe,
 26 (LACUNE)

27 nec sinit occurrat quisquam qui corpora ferro
 28 vulneret aut rapta praemia veste petat.
 29 Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
 30 qualibet : insidias non timuisse decet.
 31 Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
 32 non mihi cum multa decidit imber aqua ;
 33 non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
 34 et vocet ad digiti me taciturna sonum.
 35 Parcite luminibus, seu vir seu femina fiat
 36 obvia : celari volt sua furta Venus ;
 37 neu strepitu terrete pedum neu quaerite nomen
 38 neu prope fulgenti lumina ferte face ;
 39 si quis et inprudens adspexerit, occulat ille
 40 perque deos omnes se meminisse neget :
 41 nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
 42 is Venerem e rapido sentiet esse mari.
 43 Nec tamen huic credet conjunx tuus, ut mihi verax
 44 pollicita est magico saga ministerio.
 45 Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi,
 46 fluminis haec rapidi carmine vertit iter,
 47 haec cantu finditque solum Manesque sepulcris
 48 elicit et tepido devocat ossa rogo ;
 49 jam tenet infernas magico stridore catervas,
 50 jam jubet adpersas lacte referre pedem.
 51 Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo ;
 52 cum libet, aestivo convocat orbe nives.
 53 Sola tenere malas Medae dicitur herbas,
 54 sola feros Hecatae perdomuisse canes.
 55 Haec mihi composuit cantus, quis fallere posses :
 56 ter cane, ter dictis despue carminibus ;
 57 ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
 58 non sibi, si in molli viderit ipse toro.
 59 Tu tamen abstineas aliis : nam cetera cernet
 60 omnia ; de me uno sentiet ipse nihil.
 61 Quid credam ? nempe haec eadem se dixit amores
 62 cantibus aut herbis solvere posse meos,
 63 et me lustravit taedis, et nocte serena
 64 concidit ad magicos hostia pulla deos.
 65 Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
 66 orabam, nec te posse carere velim.
 67 Ferreus ille fuit qui, te cum posset habere,
 68 maluerit praedas stultus et arma sequi.
 69 Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
 70 ponat et in capto Martia castra solo,
 71 totus et argento contextus, totus et auro,
 72 insideat celeri conspiciendus equo ;
 73 ipse boves, mea, si tecum modo, Delia, possim
 74 jungere et in solito pascere monte pecus,
 75 et te dum liceat teneris retinere lacertis,
 76 mollis et inculta sit mihi somnus humo.
 77 Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
 78 prodest, cum fletu nox vigilanda venit ?
 79 Nam neque tunc plumae nec stragula picta soporem
 80 nec sonitus placidae ducere posset aquae.
 81 Num Veneris magna violavi numina verbo
 82 et mea nunc poenas in pia lingua luit ?
 83 Num feror incestus sedes adisse deorum
 84 sertaque de sanctis deripuisse focis ?

85 Non ego, si merui, dubitem procumbere templis
 86 et dare sacratis oscula liminibus,
 87 non ego tellurem genibus perrepere supplex
 88 et miserum sancto tundere poste caput.
 89 At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
 90 mox tibi : non uni saeviet usque deus.
 91 Vidi ego qui juvenum miseros lusisset amores
 92 post Veneris vinclis subdere colla senem
 93 et sibi blanditias tremula componere voce
 94 et manibus canas fingere velle comas ;
 95 stare nec ante fores puduit caraeve puellae
 96 ancillam medio detinuisse foro.
 97 Hunc puer hunc juvenis turba circumterit arta,
 98 despuit in molles et sibi quisque sinus.
 99 At mihi parce, Venus : semper tibi dedita servit
 100 mens mea ; quid messes uris acerba tuas ?

T 1_3 v.1 Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,
 2 o utinam memores ipse cohorsque mei !
 3 Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.
 4 Abstineas avidas, Mors, modo, nigra, manus ;
 5 abstineas, Mors atra, precor : non hic mihi mater
 6 quae legat in maestos ossa perusta sinus,
 7 non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
 8 et flet effusis ante sepulcra comis,
 9 Delia non usquam, quae, me cum mitteret Urbe,
 10 dicitur ante omnes consuluisse deos ;
 11 illa sacras pueri sortes ter sustulit : illi
 12 rettulit e trinis omina certa puer ;
 13 cuncta dabant redivit ; tamen est deterrita numquam
 14 quin fleret nostras respiceretque vias.
 15 Ipse ego solator, cum jam mandata dedissem,
 16 quaerebam tardas anxius usque moras ;
 17 aut ego sum causatus aves aut omina dira
 18 Saturnive sacram me tenuisse diem.
 19 O quotiens ingressus iter mihi tristitia dixi
 20 offensum in porta signa dedisse pedem !
 21 Audeat invito ne quis discedere Amore,
 22 aut sciat egressum se prohibente deo.
 23 Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
 24 illa tua totiens aera repulsa manu,
 25 quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
 26 te, memini, et puro secubuisse toro ?
 27 Nunc, dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi
 28 picta docet templis multa tabella tuis),
 29 ut mea votivas persolvens Delia voces
 30 ante sacras lino tecta fores sedeat
 31 bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
 32 insignis turba debeat in Pharia.
 33 At mihi contingat patrios celebrare Penates
 34 reddereque antiquo menstrua tura Lari.
 35 Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
 36 tellus in longas est patefacta vias !
 37 Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
 38 effusum ventis praebueratque sinum,
 39 nec vagus ignotis repetens compendia terris
 40 presserat externa navita merce ratem.

41 Illo non validus subiit juga tempore taurus,
 42 non domito frenos ore momordit equus,
 43 non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
 44 qui regeret certis finibus arva, lapis ;
 45 ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
 46 obvia securis ubera lactis oves.
 47 Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
 48 inmiti saevus duxerat arte faber.
 49 Nunc Jove sub domino caedes et vulnere semper,
 50 nunc mare, nunc leti mille repente viae.
 51 Parce, pater : timidum non me perjuria terrent,
 52 non dicta in sanctos impia verba deos.
 53 Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
 54 fac lapis inscriptis stet super ossa notis :
 55 "Hic jacet inmiti consumptus morte Tibullus,
 56 Messallam terra dum sequiturque mari."
 57 Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
 58 ipsa Venus campos ducet in Elysios.
 59 Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
 60 dulce sonant tenui gutture carmen aves ;
 61 fert casiam non culta seges, totosque per agros
 62 floret odoratis terra benigna rosis ;
 63 ac juvenum series teneris immixta puellis
 64 ludit, et adsidue proelia miscet Amor.
 65 Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti,
 66 et gerit insigni myrtea sarta coma.
 67 At scelerata jacet sedes in nocte profunda
 68 abdita, quam circum flumina nigra sonant ;
 69 Tisiphoneque inpexa feros pro crinibus angues
 70 saevit et huc illuc impia turba fugit ;
 71 tum niger in porta serpentum Cerberus ore
 72 stridet et aeratas excubat ante fores.
 73 Illic Junonem temptare Ixionis ausi
 74 versantur celeri noxia membra rota ;
 75 porrectusque novem Tityos per jugera terrae
 76 adsiduas atro viscere pascit aves ;
 77 Tantalus est illic, et circum stagna : sed acrem
 78 jam jam poturi deserit unda sitim ;
 79 et Danaï proles, Veneris quod numina laesit,
 80 in cava Lethaeas dolia portat aquas.
 81 Illic sit quicumque meos violavit amores,
 82 optavit lentas et mihi militias.
 83 At tu casta precor maneat, sanctique pudoris
 84 adsideat custos sedula semper anus.
 85 Haec tibi fabellas referat positaque lucerna
 86 deducat plena stamina longa colu ;
 87 at circa gravibus pensis adfixa puella
 88 paulatim somno fessa remittat opus.
 89 Tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
 90 sed videar caelo missus adesse tibi ;
 91 tunc mihi, qualis eris longos turbata capillos,
 92 obvia nudato, Delia, curre pede.
 93 Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
 94 Luciferum roseis candida portet equis.

T 1_4 v.1 "Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
 2 ne capiti soles, ne noceantque nives :

3 quae tua formosos cepit sollertia ? certe
 4 non tibi barba nitet, non tibi culta coma est ;
 5 nudus et hibernae producis frigora brumae,
 6 nudus et aestivi tempora sicca Canis."
 7 Sic ego ; tum Bacchi respondit rustica proles
 8 armatus curva sic mihi falce deus :
 9 "O fuge te tenerae puerorum credere turbae :
 10 nam causam justi semper amoris habent.
 11 Hic placet, angustis quod equum conpescit habenis,
 12 hic placidam niveo pectore pellit aquam ;
 13 hic, quia fortis adest audacia, cepit ; at illi
 14 virgineus teneras stat pudor ante genas.
 15 Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
 16 taedia ; paulatim sub juga colla dabit :
 17 longa dies homini docuit parere leones,
 18 longa dies molli saxa peredit aqua ;
 19 annus in apricis maturat collibus uvas,
 20 annus agit certa lucida signa vice.
 21 Nec jurare time : Veneris perjuriam venti
 22 inrita per terras et freta summa ferunt.
 23 Gratia magna Jovi : vetuit Pater ipse valere,
 24 jurasset cupide quicquid ineptus amor ;
 25 perque suas inpune sinit Dictynna sagittas
 26 adfirmes, crines perque Minerva suos.
 27 At si tardus eris, errabis : transiet aetas
 28 quam cito ! non segnis stat remeatque dies.
 29 Quam cito purpureos deperdit terra colores,
 30 quam cito formosas populus alta comas.
 31 Quam jacet, infirmas venere ubi fata senectae,
 32 qui prior Eleo est carcere missus equus.
 33 Vidi jam juvenem, premeret cum senior aetas,
 34 maerentem stultos praeteriisse dies.
 35 Crudeles divi ! serpens novus exiit annos :
 36 formae non ullam fata dedere moram.
 37 Solis aeterna est Baccho Phoeboque juvenas :
 38 nam decet intonsus crinis utrumque deum.
 39 Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
 40 cedas : obsequio plurima vincet amor.
 41 Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
 42 et Canis arenti torreat arva siti,
 43 quamvis praetextans picta ferrugine caelum
 44 venturam admittat imbrifer arcus aquam ;
 45 vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
 46 ipse levem remo per freta pelle ratem.
 47 Nec te paeniteat duos subiisse labores
 48 aut opera insuetas adteruisse manus ;
 49 nec, velit insidiis altas si claudere valles,
 50 dum placeas, umeri retia ferre negent ;
 51 si volet arma, levi temptabis ludere dextra,
 52 saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
 53 Tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
 54 oscula ; pugnabit, sed tamen apta dabit ;
 55 rapta dabit primo, post adferet ipse roganti,
 56 post etiam collo se implicuisse velit.
 57 Heu ! male nunc artes miseris haec saecula tractant :
 58 jam tener adsuevit munera velle puer.
 59 At tu, qui venerem docuisti vendere primus,
 60 quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

61 Pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
 62 aurea nec superent munera Pieridas :
 63 carmine purpurea est Nisi coma ; carmina ni sint,
 64 ex umero Pelopis non nituisset ebur.
 65 Quem referent Musae, vivet, dum roborata tellus,
 66 dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
 67 At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
 68 Idaeae currus ille sequatur Opis
 69 et tercentenas erroribus expleat urbes
 70 et secet ad Phrygios vilia membra modos.
 71 Blanditiis volt esse locum Venus ipsa ; querellis
 72 supplicibus, miseris fletibus illa favet."
 73 Haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore :
 74 sed Titium conjunx haec meminisse vetat.
 75 Pareat ille suae ; vos me celebrate magistrum,
 76 quos male habet multa callidus arte puer.
 77 Gloria cuique sua est : me, qui spernentur, amantes
 78 consultant ; cunctis janua nostra patet.
 79 Tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
 80 deducat juvenum sedula turba senem.
 81 Heu ! heu ! quam Marathus lento me torquet amore !
 82 Deficiunt artes, deficiuntque doli.
 83 Parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
 84 cum mea ridebunt vana magisteria.

T 1_5 v.1 Asper eram et bene discidium me ferre loquebar :
 2 at mihi nunc longe gloria fortis abest.
 3 Namque agor ut per plana citus sola verbere turben
 4 quem celer adsueta versat ab arte puer.
 5 Ure ferum et torque, libeat ne dicere quicquam
 6 magnificum post haec : horrida verba doma.
 7 Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
 8 per Venerem quaeso conpositumque caput.
 9 Ille ego cum tristi morbo defessa jaceres
 10 te dicor votis eripuisse meis,
 11 ipseque te circum lustravi sulphure puro,
 12 carmine cum magico praecinuisset anus ;
 13 ipse procuravi ne possent saeva nocere
 14 somnia, ter sancta deveneranda mola ;
 15 ipse ego velatus filo tunicisque solutis
 16 vota novem Triviae nocte silente dedi.
 17 Omnia persolvi : fruitur nunc alter amore,
 18 et precibus felix utitur ille meis.
 19 At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
 20 fingebam demens, sed renuente deo.
 21 Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
 22 area dum messes sole calente teret,
 23 aut mihi servabit plenis in lintribus uvas
 24 pressaque veloci candida musta pede.
 25 Consuescet numerare pecus ; consuescet amantis
 26 garrulus in dominae ludere verna sinu.
 27 Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
 28 pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
 29 Illa regat cunctos, illi sint omnia curae :
 30 at juvet in tota me nihil esse domo.
 31 Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
 32 Delia selectis detrahat arboribus :

33 et tantum venerata virum hunc sedula curet,
 34 huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.
 35 Haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque
 36 jactat odoratos vota per Armenios.
 37 Saepe ego temptavi curas depellere vino :
 38 at dolor in lacrimas verterat omne merum.
 39 Saepe aliam tenui : sed jam cum gaudia adirem,
 40 admonuit dominae deseruitque Venus ;
 41 tunc me discedens devotum femina dixit,
 42 et pudet et narrat scire nefanda meam.
 43 Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis
 44 devovet et flavis nostra puella comis :
 45 talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
 46 vecta est frenato caerulea pisce Thetis ;
 47 haec nocuere mihi. Quod adest huic dives amator,
 48 venit in exitium callida lena meum.
 49 Sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
 50 tristia cum multo pocula felle bibat ;
 51 hanc volitent animae circum sua fata querentes
 52 semper, et e tectis strix violenta canat ;
 53 ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
 54 quaerat et a saevis ossa relictata lupis,
 55 currat et inguinibus nudis ululetque per urbes,
 56 post agat e triviis aspera turba canum.
 57 Eveniet ; dat signa deus : sunt numina amanti,
 58 saevit et injusta lege relictata Venus.
 59 At tu quam primum sagae praecepta rapacis
 60 desere : nam donis vincitur omnis amor.
 61 Pauper erit praesto semper, te pauper adibit
 62 primus et in tenero fixus erit latere ;
 63 pauper in angusto fidus comes agmine turbae
 64 subicietque manus efficietque viam ;
 65 pauper ad occultos furtim deducet amicos
 66 vinclaque de niveo detrahet ipse pede.
 67 Heu ! canimus frustra, nec verbis victa patescit
 68 janua sed plena est percutienda manu.
 69 At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto :
 70 versatur celeri Fors levis orbe rotatae.
 71 Non frustra quidam jam nunc in limine perstat
 72 sedulus ac crebro prospicit ac refugit
 73 et simulat transire domum, mox deinde recurrit
 74 solus et ante ipsas excreat usque fores.
 75 Nescio quid furtivus amor parat. Utere quaeso,
 76 dum licet : in liquida nat tibi linter aqua.

T 1_6 v.1 Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus,
 2 post tamen es misero tristis et asper, Amor.
 3 Quid tibi saevitiae mecum est ? an gloria magna est
 4 insidias homini conposuisse deum ?
 5 Nam mihi tenduntur casses : jam Delia furtim
 6 nescio quem tacita callida nocte fovet.
 7 Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est :
 8 sic etiam de me pernegat usque viro.
 9 Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
 10 custodes : heu ! heu ! nunc premor arte mea.
 11 Fingere nunc didicit causas ut sola cubaret,
 12 cardine nunc tacito vertere posse fores ;

13 tum sucos herbasque dedi, quis livor abiret
 14 quem facit inpresso mutua dente venus.
 15 At tu, fallacis conjunx incaute puellae,
 16 me quoque servato, peccet ut illa nihil ;
 17 neu juvenes celebret multo sermone, caveto,
 18 neve cubet laxo pectus aperta sinu,
 19 neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
 20 ne trahat et mensae ducat in orbe notas.
 21 Exhibet quam saepe, time, seu visere dicet
 22 sacra Bonae maribus non adeunda Deae.
 23 At mihi si credas, illam sequar unus ad aras :
 24 tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
 25 Saepe, velut gemmas ejus signumque probarem,
 26 per causam memini me tetigisse manum ;
 27 saepe mero somnum peperit tibi, at ipse bibebam
 28 sobria subposita pocula victor aqua.
 29 Non ego te laesi prudens : ignosce fatenti ;
 30 jussit Amor : contra quis ferat arma deos ?
 31 Ille ego sum, nec me jam dicere vera pudebit,
 32 instabat tota cui tua nocte canis.
 33 Quid tenera tibi conjuge opus ? Tua si bona nescis
 34 servare, frustra clavis inest foribus.
 35 Te tenet, absentes alios suspirat amores
 36 et simulat subito condoluisse caput.
 37 At mihi servandam credas : non saeva recuso
 38 verbera, detrecto non ego vincla pedum ;
 39 tum procul absitis, quisquis colit arte capillos,
 40 et fluit effuso cui toga laxa sinu ;
 41 quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
 42 stet procul aut alia stet procul ante via.
 43 Sic fieri jubet ipse deus, sic magna sacerdos
 44 est mihi divino vaticinata sono :
 45 Haec, ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
 46 flammam, non amens verbera torta timet ;
 47 ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos
 48 sanguineque effuso spargit inulta deam,
 49 statque latus praefixa veru, stat saucia pectus,
 50 et canit eventus quos dea magna monet :
 51 "Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
 52 ne pigeat magno post didicisse malo :
 53 adtigerit, labentur opes, ut volnere nostro
 54 sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis."
 55 Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas :
 56 si tamen admittas, sit precor illa levis.
 57 Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
 58 me movet atque iras aurea vincit anus.
 59 Haec mihi te adducit tenebris multoque timore
 60 conjungit nostras clam taciturna manus ;
 61 haec foribusque manet noctu me adfixa proculque
 62 cognoscit strepitus me veniente pedum.
 63 Vive diu mihi, dulcis anus ; proprios ego tecum,
 64 sit modo fas, annos contribuisse velim.
 65 Te semper natamque tuam te propter amabo :
 66 quicquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
 67 Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos
 68 impediat crines nec stola longa pedes ;
 69 et mihi sint durae leges, laudare nec ullam
 70 possim ego, quin oculos adpetat illa meos ;

71 et si quid peccasse putet, ducarque capillis
 72 inmerito in medias proripiarque vias ;
 73 non ego te pulsare velim, sed, venerit iste
 74 si furor, optarim non habuisse manus ;
 75 nec saevo sis casta metu, sed mente fideli
 76 mutuus absenti te mihi servet amor.
 77 At quae fida fuit nulli, post victa senecta
 78 ducit inops tremula stamina torta manu
 79 firmaque conductis adnectit licia telis
 80 tractaque de niveo vellere ducta putat.
 81 Hanc animo gaudente vident juvenumque catervae
 82 commemorant merito tot mala ferre senem ;
 83 hanc Venus exalto flentem sublimis Olympo
 84 spectat et infidis quam sit acerba monet.
 85 Haec aliis maledicta cadant : nos, Delia, amoris
 86 exemplum cana simus uterque coma.

T 1_7 v.1 Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
 2 stamina, non ulli dissoluenda deo,
 3 hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
 4 quem tremere forti milite victus Atax.
 5 Evenere : novos pubes Romana triumphos
 6 vidit et evinctos bracchia capta duces ;
 7 at te victrices lauros, Messalla, gerentem
 8 portabat nitidis currus eburnus equis.
 9 Non sine me est tibi partus honos : Tarbella Pyrene
 10 testis et Oceani litora Santonici,
 11 testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garunna,
 12 Carnutis et flavi caerula lympa Liger.
 13 An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
 14 caeruleus placidis per vada serpis aquis,
 15 quantus et aetherio contingens vertice nubes
 16 frigidus intonsos Taurus alat Cilicas ?
 17 Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
 18 Alba Palaestino sancta columba Syro,
 19 utque maris vastum prospectet turribus aequor
 20 prima ratem ventis credere docta Tyros,
 21 qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
 22 fertilis aestiva Nilus abundet aqua ?
 23 Nile pater, quam possim te dicere causa
 24 aut quibus in terris occuluisse caput ?
 25 Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
 26 arida nec pluvio supplicat herba Jovi.
 27 Te canit atque suum pubes miratur Osirim
 28 barbara, Memphiten plangere docta bovem.
 29 Primus aratra manu sollerti fecit Osiris
 30 et teneram ferro sollicitavit humum,
 31 primus inexpertae comisit semina terrae
 32 pomaque non notis legit ab arboribus.
 33 Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
 34 hic viridem dura caedere falce comam ;
 35 illi jucundos primum matura saporibus
 36 expressa incultis uva dedit pedibus ;
 37 ille liquor docuit voces inflectere cantu,
 38 movit et ad certos nescia membra modos ;
 39 Bacchus et agricolae magno confecta labore
 40 pectora tristitiae dissoluenda dedit,

41 Bacchus et adflctis requiem mortalibus adfert,
 42 crura licet dura conpede pulsa sonent.
 43 Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
 44 sed chorus et cantus et levis aptus amor,
 45 sed varii flores et frons redimita corymbis,
 46 fusa sed ad teneros lutea palla pedes
 47 et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu
 48 et levis occultis conscia cista sacris.
 49 Huc ades et Genium ludis geniumque choreis
 50 concelebra et multo tempora funde mero ;
 51 illius et nitido stillent unguenta capillo,
 52 et capite et collo mollia sarta gerat.
 53 Sic venias hodie, tibi dem turis honores,
 54 liba et Mopsopio dulcia melle feram.
 55 At tibi succrescat proles quae facta parentis
 56 augeat et circa stet veneranda senem.
 57 Nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
 58 candidaque antiquo detinet Alba Lare ;
 59 namque opibus congesta tuis hic glarea dura
 60 sternitur, hic apta jungitur arte silex ;
 61 te canit agricola, a magna cum venerit urbe
 62 serus, inoffensum rettuleritque pedem.
 63 At tu, Natalis multos celebrande per annos,
 64 candidior semper candidiorque veni.

T 1_8 v.1 Non ego celari possum, quid nutus amantis
 2 quidve ferant miti lenia verba sono.
 3 Nec mihi sunt sortes nec conscia fibra deorum,
 4 praecinit eventus nec mihi cantus avis :
 5 ipsa Venus magico religatum bracchia nodo
 6 perdocuit multis non sine verberibus.
 7 Desine dissimulare : deus crudelius urit,
 8 quos videt invitos subcubuisse sibi.
 9 Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
 10 saepeque mutatas disposuisse comas,
 11 quid fuco splendente genas ornare, quid ungues
 12 artificis docta subsecuisse manu ?
 13 Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,
 14 ansaque compressos conligat arta pedes.
 15 Illa placet, quamvis inculto venerit ore
 16 nec nitidum tarda compserit arte caput.
 17 Num te carminibus, num te pallentibus herbis
 18 devovit tacito tempore noctis anus ?
 19 Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
 20 cantus et iratae detinet anguis iter,
 21 cantus et e curru Lunam deducere temptat,
 22 et faceret, si non aera repulsa sonent.
 23 Quid queror heu ! misero carmen nocuisse, quid herbas ?
 24 Forma nihil magicis utitur auxiliis :
 25 sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
 26 oscula, sed femori conseruisse femur.
 27 Nec tu difficilis puero tamen esse memento :
 28 persequitur poenis tristia facta Venus.
 29 Munera ne poscas : det munera canus amator,
 30 ut foveat molli frigida membra sinu.
 31 Carior est auro juvenis, cui levia fulgent
 32 ora nec amplexus aspera barba terit ;

33 huic tu candentes umero subpone lacertos,
 34 et regum magnae despiciantur opes.
 35 At Venus invenit puero concumbere furtim,
 36 dum timet et teneros conserit usque sinus,
 37 et dare anhelanti pugnantibus umida linguis
 38 oscula et in collo figere dente notas.
 39 Non lapis hanc gemmaeque juvant, quae frigore sola
 40 dormiat et nulli sit cupienda viro.
 41 Heu ! sero revocatur amor seroque juvenitas
 42 cum vetus infecit cana senecta caput.
 43 Tum studium formae est : coma tum mutatur, ut annos
 44 dissimulet viridi cortice tincta nucis ;
 45 tollere tum cura est albos a stirpe capillos
 46 et faciem dempta pelle referre novam.
 47 At tu dum primi floret tibi temporis aetas
 48 utere : non tardo labitur illa pede.
 49 Neu Marathum torque : puero quae gloria victo est ?
 50 in veteres esto dura, puella, senes ;
 51 parce precor tenero : non illi sontica causa est,
 52 sed nimius luto corpora tingit amor.
 53 Vel miser absenti maestas quam saepe querelas
 54 conicit, et lacrimis omnia plena madent !
 55 "Quid me spernis ?" ait. "Poterat custodia vinci :
 56 ipse dedit cupidis fallere posse deus.
 57 Nota venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
 58 spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum ;
 59 et possum media quamvis obrepere nocte
 60 et strepitu nullo clam reserare fores.
 61 Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
 62 et fugit ex ipso saeva puella toro ?
 63 Vel cum promittit, subito sed perfida fallit,
 64 est mihi nox multis evigilanda malis :
 65 dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
 66 illius credo tunc sonuisse pedes."
 67 Desistas lacrimare, puer : non frangitur illa,
 68 et tua jam fletu lumina fessa tument.
 69 Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia divi,
 70 nec prodest sanctis tura dedisse focis :
 71 hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
 72 nescius ultorem post caput esse deum ;
 73 saepe etiam lacrimas fertur risisse dolentis
 74 et cupidum ficta detinuisse mora ;
 75 nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
 76 quaecumque obposita est janua dura sera.
 77 At te poena manet, ni desinis esse superba ;
 78 quam cupies votis hunc revocare diem !

T 1_9 v.1 Quid mihi, si fueras miseros laesurus amores,
 2 foedera per divos, clam violanda, dabas ?
 3 A miser, et si quis primo perjuriam celat,
 4 sera tamen tacitis Poena venit pedibus.
 5 Parcite, caelestes : aequum est inpune licere
 6 numina formosis laedere vestra semel.
 7 Lucra petens habili tauros adjungit aratro
 8 et durum terrae rusticus urget opus,
 9 lucra petituras freta per parentia ventis
 10 ducunt instabiles sidera certa rates :

11 muneribus meus est captus puer. At deus illa
12 in cunerem et liquidas munera vertat aquas.
13 Jam mihi persolvat poenas, pulvisque decorem
14 detrahet et ventis horrida facta coma ;
15 uretur facies, urentur sole capilli,
16 deteret invalidos et via longa pedes.
17 Admonui quotiens : "Auro ne pollue formam :
18 saepe solent auro multa subesse mala.
19 Divitiis captus si quis violavit amorem,
20 asperaque est illi difficilisque Venus.
21 Ure meum potius flamma caput et pete ferro
22 corpus et intorto verbere terga seca.
23 Nec tibi celandi spes sit peccare paranti :
24 est deus, occultos qui vetat esse dolos.
25 Ipse deus tacito permisit leve ministro
26 ederet ut multo libera verba mero ;
27 ipse deus somno domitos emittere vocem
28 jussit et invitos facta tegenda loqui."
29 Haec ego dicebam : nunc me flevisse loquentem,
30 nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
31 Tum mihi jurabas nullo te divitis auri
32 pondere, non gemmis, vendere velle fidem,
33 non tibi si pretium Campania terra daretur,
34 non tibi si Bacchi cura Falernus ager,
35 (illis eriperes verbis mihi sidera caeli
36 lucere et puras fulminis esse vias).
37 Quin etiam flebas : at non ego fallere doctus
38 tergebam umentes credulus usque genas.
39 Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellae ?
40 Sit precor exemplo sit levis illa tuo.
41 O quotiens, verbis ne quisquam conscius esset,
42 ipse comes multa lumina nocte tuli !
43 Saepe insperanti venit tibi munere nostro
44 et latuit clausas post adoperta fores.
45 Tum miser interii, stulte confisus amari :
46 nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
47 Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
48 et me nunc nostri Pieridumque pudet ;
49 illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
50 torreat et liquida deleat amnis aqua.
51 Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est
52 et pretium plena grande referre manu.
53 At te qui puerum donis corrumpere es ausus
54 rideat adsiduis uxor inulta dolis,
55 et, cum furtivo juvenem lassaverit usu,
56 tecum interposita languida veste cubet.
57 Semper sint externa tuo vestigia lecto
58 et pateat cupidis semper aperta domus ;
59 nec lasciva soror dicatur plura bibisse
60 pocula vel plures emeruisse viros ;
61 illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
62 dum rota Luciferi provocet orta diem ;
63 illa nulla queat melius consumere noctem
64 aut operum varias disposuisse vices.
65 At tua perdidicit : nec tu, stultissime, sentis,
66 cum tibi non solita corpus ab arte movet.
67 Tune putas illam pro te disponere crines
68 aut tenues denso pectere dente comas ?

69 Ista ita persuadet facies, auroque lacertos
 70 vinciat et Tyrio prodeat apta sinu ?
 71 Non tibi sed juveni cuidam vult bella videri,
 72 devoveat pro quo remque domumque tuam ;
 73 nec facit hoc vitio, sed corpora foeda podagra
 74 et senis amplexus culta puella fugit.
 75 Huic tamen adcubuit noster puer : hunc ego credam
 76 cum trucibus venerem jungere posse feris.
 77 Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus,
 78 tunc aliis demens oscula ferre mea ?
 79 Tum flebis, cum me vinctum puer alter habebit
 80 et geret in regno regna superba tuo.
 81 At tua tum me poena juvet, Venerique merenti
 82 fixa notet casus aurea palma meos :
 83 "Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
 84 dedicat et grata sis, dea, mente rogat".

T 1_10 v.1 Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses ?
 2 Quam ferus et vere ferreus ille fuit !
 3 Tum caedes hominum generi, tum proelia nata
 4 et brevior dirae mortis aperta via est.
 5 An nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
 6 vertimus, in saevas quod dedit ille feras ?
 7 Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt,
 8 faginus adstabat cum scyphus ante dapes ;
 9 non arces, non vallus erat, somnumque petebat
 10 securus sparsas dux gregis inter oves.
 11 Tunc mihi vita foret, Valgi, nec tristia nossem
 12 arma nec audissem corde micante tubam.
 13 Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis
 14 haesura in nostro tela gerit latere.
 15 Sed patrii servate Lares : aluistis et idem,
 16 cursarem vestros cum tener ante pedes.
 17 Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos :
 18 sic veteris sedes incoluistis avi.
 19 Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
 20 stabat in exigua ligneus aede deus ;
 21 hic placatus erat, seu quis libaverat uva,
 22 seu dederat sanctae spicea sarta comae ;
 23 atque aliquis voti compos liba ipse ferebat
 24 postque comes purum filia parva favum.
 25 At nobis aerata, Lares, depellite tela,
 26 hostiaque e plena rustica porcus hara ;
 27 hanc pura cum veste sequar myrtoque canistra
 28 vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
 29 Sic placeam vobis : alius sit fortis in armis,
 30 sternat et adversos Marte favente duces,
 31 ut mihi potanti possit sua dicere facta
 32 miles et in mensa pingere castra mero.
 33 Quis furor est atram bellis accersere Mortem ?
 34 Inminet et tacito clam venit illa pede.
 35 Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
 36 Cerberus et Stygiae navita turpis aquae ;
 37 illic percussisque genis ustoque capillo
 38 errat ad obscuros pallida turba lacus.
 39 Quin potius laudandus hic est quem prole parata
 40 occupat in parva pigra senecta casa !

41 Ipse suas sectatur oves, at filius agnos,
 42 et calidam fesso conparat uxor aquam.
 43 Sic ego sim, liceatque caput candescere canis
 44 temporis et prisca facta referre senem.
 45 Interea Pax arva colat : Pax candida primum
 46 duxit araturos sub juga curva boves ;
 47 Pax aluit vites et sucos condidit uvae,
 48 funderet ut nato testa paterna merum ;
 49 Pace bidens vomerque nitent, at tristia duri
 50 militis in tenebris occupat arma situs.
 51 Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
 52 Uxorem plaustro progeniemque domum.
 53 Sed Veneris tum bella calent, scissosque capillos
 54 femina perfractas conqueriturque fores ;
 55 flet teneras subtusa genas : sed victor et ipse
 56 flet sibi dementes tam valuisse manus ;
 57 at lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
 58 inter et iratum lentus utrumque sedet.
 59 A lapis est ferrumque, suam quicumque puellam
 60 verberat : e caelo deripit ille deos.
 61 sit satis e membris tenuem rescindere vestem,
 62 sit satis ornatus dissoluisse comae,
 63 sit lacrimas movisse satis : quater ille beatus
 64 quo tenera irato flere puella potest ;
 65 sed manibus qui saevus erit, scutumque sudemque
 66 is gerat et miti sit procul a Venere.
 67 At nobis, Pax alma, veni spicamque teneto,
 68 perfluat et pomis candidus ante sinus.

T 2_1 v.1 Quisquis adest, faveat : fruges lustramus et agros,
 2 ritus ut a prisca traditus extat avo.
 3 Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
 4 pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres.
 5 Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
 6 et grave suspenso vomere cesset opus.
 7 Solvite vincla jugis : nunc ad praesepia debent
 8 plena coronato stare boves capite.
 9 Omnia sint operata deo ; non audeat ulla
 10 lanificam pensis imposuisse manum.
 11 Vos quoque abesse procul jubeo, discedat ab aris,
 12 cui tulit hesternae gaudia nocte Venus ;
 13 casta placent superis : pura cum veste venite
 14 et manibus puris sumite fontis aquam.
 15 Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras
 16 vinctaque post olea candida turba comas.
 17 Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes ;
 18 vos mala de nostris pellite limitibus,
 19 neu seges eludat messem fallacibus herbis,
 20 neu timeat celeres tardior agna lupos.
 21 Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
 22 ingeret ardenti grandia ligna foco,
 23 turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
 24 ludet et ex virgis extruet ante casas.
 25 Eventura precor : vident ut felicibus extis
 26 significet placidos nuntia fibra deos ?

27 Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
28 consulis et Chio solvite vincla cado.
29 Vina diem celebrent : non festa luce madere
30 est rubor, errantes et male ferre pedes.
31 Sed "bene Messallam" sua quisque ad pocula dicat,
32 nomen et absentis singula verba sonent.
33 Gentis Aquitanae celebrer Messalla triumphis
34 et magna intonsis gloria victor avis,
35 huc ades aspira que mihi, dum carmine nostro
36 redditur agricolis gratia caelitibus.
37 Rura cano rurisque deos : his vita magistris
38 desuevit querna pellere glande famem ;
39 illi compositis primum docuere tigillis
40 exigua viridi fronde operire domum ;
41 illi etiam tauros primi docuisse feruntur
42 servitium et plaustro supposuisse rotam.
43 Tum victus abiere feri, tum consita pomus,
44 tum bibit inriguas fertilis hortus aquas,
45 aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores
46 mixta que securo est sobria lympha mero.
47 Rura ferunt messes, calidi cum sideris aestu
48 deponit flavas annua terra comas ;
49 rure levis verno flores apis ingerit alveo,
50 compleat ut dulci sedula melle favos.
51 Agricola adsiduo primum satiatus aratro
52 cantavit certo rustica verba pede
53 et satur arenti primum est modulatus avena
54 carmen, ut ornatos diceret ante deos,
55 agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
56 primus inexperta duxit ab arte choros ;
57 huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
58 dux pecoris curtas auxerat hircus opes.
59 Rure puer verno primum de flore coronam
60 fecit et antiquis imposuit Laribus,
61 rure etiam teneris curam exhibitura puellis
62 molle gerit tergo lucida vellus ovis :
63 hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
64 fusus et adposito pollice versat opus,
65 atque aliqua adsiduae textrix operata minervam
66 cantat, et a pulso tela sonat latere.
67 Ipse quoque inter agros interque armenta Cupido
68 natus et indomitas dicitur inter equas ;
69 illic indocto primum se exercuit arcu ;
70 ei mihi, quam doctas nunc habet ille manus !
71 Nec pecudes, velut ante, petit : fixisse puellas
72 gestit et audaces perdomuisse viros ;
73 hic juveni detraxit opes, hic dicere jussit
74 limen ad iratae verba pudenda senem ;
75 hoc duce custodes furtim transgressa jacentes
76 ad juvenem tenebris sola puella venit
77 et pedibus praetemptat iter suspensa timore,
78 explorat caecas cui manus ante vias.
79 A miseri, quos hic graviter deus urget ! at ille
80 felix, cui placidus leniter adflat Amor.
81 Sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas
82 et procul ardentes hinc, precor abde faces.
83 Vos celebrem cantate deum pecorique vocate
84 voce ; palam pecori, clam sibi quisque vocet,

85 aut etiam sibi quisque palam : nam turba jocosa
 86 obstrepit et Phrygio tibia curva sono.
 87 Ludite : jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
 88 matris lascivo sidera fulva choro,
 89 postque venit tacitus furvis circumdatus alis
 90 Somnus et incerto Somnia nigra pede.

T 2_2 v.1 Dicamus bona verba : venit Natalis ad aras ;
 2 quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
 3 Urantur pia tura focus, urantur odores
 4 quos tener e terra divite mittit Arabs.
 5 Ipse suos adsit Genius visurus honores,
 6 cui decorent sanctas mollia sertas comas ;
 7 illius puro destillent tempora nardo,
 8 atque satur libo sit madeatque mero,
 9 adnuat et, Cornute, tibi, quodcumque rogabis.
 10 En age, quid cessas ? adnuit ille : roga.
 11 Auguror, uxoris fidos optabis amores
 12 - jam reor hoc ipsos edidicisse deos -
 13 nec tibi malueris, totum quaecumque per orbem
 14 fortis arat valido rusticus arva bove,
 15 nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis
 16 nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
 17 Vota cadunt ; utinam strepitantibus advolet alis
 18 flavaque conjugio vincula portet Amor,
 19 vincula quae maneant semper dum tarda senectus
 20 inducat rugas inficiatque comas.
 21 Haec veniat, Natalis, avis prolemque ministret,
 22 ludat et ante tuos turba novella pedes.

T 2_3 v.1 Rura meam, Cornute, tenent villaeque puellam ;
 2 ferreus est, heu ! heu ! quisquis in urbe manet ;
 3 ipsa Venus latos jam nunc migravit in agros,
 4 verbaque aratoris rustica discit Amor.
 5 O ego, cum aspicerem dominam, quam fortiter illic
 6 versarem valido pingue bidente solum
 7 agricolaeque modo curvum sectarer aratrum,
 8 dum subigunt steriles arva serenda boves !
 9 Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
 10 laederet et teneras pussula rupta manus.
 11 Pavit et Admeti tauros formosus Apollo,
 12 nec cithara intonsae profueruntve comae,
 13 nec potuit curas sanare salubribus herbis :
 14 quidquid erat medicae vicerat artis amor.
 15 Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas
 16 (lacune)
 17 et miscere novo docuisse coagula lacte,
 18 lacteus et mixtis obriguisset liquor.
 19 Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
 20 raraque per nexus est via facta sero.
 21 O quotiens illo vitulum gestante per agros
 22 dicitur occurrens erubuisse soror !
 23 O quotiens ausae, caneret dum valle sub alta,
 24 rumpere mugitu carmina docta boves !
 25 Saepe duces trepidis petiere oracula rebus,
 26 venit et a templis inrita turba domum ;

27 saepe horrere sacros doluit Latona capillos,
 28 quos admirata est ipsa noverca prius ;
 29 quisquis inornatumque caput crinesque solutos
 30 aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.
 31 Delos ubi nunc, Phoebe, tua est, ubi Delphica Pytho ?
 32 Nempe Amor in parva te jubet esse casa.
 33 Felices olim, Veneri cum fertur aperte
 34 servire aeternos non puduisse deos.
 35 Fabula nunc ille est ; sed cui sua cura puella est,
 36 fabula sit mavult quam sine amore deus.
 37 At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
 38 imperat ut nostra sint tua castra domo
 39 ferrea non venerem sed praedam saecula laudant ;
 40 praeda tamen multis est operata malis :
 41 praeda feras acies cinxit discordibus armis ;
 42 hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit ;
 43 praeda vago jussit geminare pericula ponto,
 44 bellica cum dubiis rostra dedit ratibus ;
 45 praedator cupit immensos obsidere campos,
 46 ut multa innumera jugera pascant oves ;
 47 cui lapis externus curae est, urbisque tumultu
 48 portatur validis mille columna jugis,
 49 claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
 50 neglegat hibernas piscis adesse minas.
 51 At mihi laeta trahant Samiae convivium testae
 52 fictaque Cumana lubrica terra rota.
 53 Heu ! heu ! divitibus video gaudere puellas :
 54 jam veniant praedae, si Venus optat opes,
 55 ut mea luxuria Nemesis fluat utque per urbem
 56 incedat donis conspicienda meis ;
 57 illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
 58 texuit, auratas disposuitque vias ;
 59 illi sint comites fusci, quos India torret
 60 Solis et admotis inficit ignis equis ;
 61 illi selectos certent praebere colores
 62 Africa puniceum purpureumque Tyros.
 63 Nota loquor : regnum ipse tenet, quem saepe coegit
 64 barbara gypsatos ferre catasta pedes.
 65 At tibi dura seges, Nemesim quae abducis ab urbe,
 66 persolvat nulla semina terra fide ;
 67 et tu, Bacche tener, jucundae consitor uvae,
 68 tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus :
 69 haud impunelicet formosas tristibus agris
 70 abdere ; non tanti sunt tua musta, pater.
 71 O valeant fruges, ne sint modo rure puellae ;
 72 glans alat et prisco more bibantur aquae :
 73 glans aluit veteres, et passim semper amarunt ;
 74 quid nocuit sulcos non habuisse satos ?
 75 Tunc, quibus aspirabat Amor, praebebat aperte
 76 mitis in umbrosa gaudia valle Venus ;
 77 nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
 78 janua ; si fas est, mos, precor, ille redi.
 79 (Lacune)
 80 Horrida villosa corpora veste tegant.
 81 Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
 82 heu ! miserum, laxam quid juvat esse togam ?
 83 Ducite : ad imperium dominae sulcabitur agros ;
 84 non ego me vinclis verberibusque nego.

T 2_4 v.1 Sic mihi servitium video dominamque paratam :
 2 jam mihi, libertas illa paterna, vale ;
 3 servitium sed triste datur, teneorque catenis,
 4 et numquam misero vincla remittit Amor,
 5 et, seu quid merui seu nil peccavimus, urit ;
 6 uror, io ! remove, saeva puella, faces.
 7 O ego ne possim tales sentire dolores,
 8 quam mallet in gelidis montibus esse lapis,
 9 stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
 10 naufraga quam vasti tunderet unda maris !
 11 Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est :
 12 omnia nam tristi tempora felle madent ;
 13 nec prosunt elegi nec carminis auctor Apollo :
 14 illa cava pretium flagitat usque manu.
 15 Ite procul, Musae, si non prodestis amanti :
 16 non ego vos, ut sint bella canenda, colo,
 17 nec refero Solisque vias et qualis, ubi orbem
 18 complevit, versis Luna recurrit equis ;
 19 ad dominam faciles aditus per carmina quaero :
 20 ite procul, Musae, si nihil ista valent.
 21 At mihi per caedem et facinus sunt dona paranda,
 22 ne jaceam clausam flebilis ante domum ;
 23 aut rapiam suspensa sacris insignia fanis ;
 24 sed Venus ante alios est violanda mihi :
 25 illa malum facinus suadet dominamque rapacem
 26 dat mihi ; sacrilegas sentiat illa manus.
 27 O pereat quicumque legit viridesque smaragdos
 28 et niveam Tyrio murice tingit ovem !
 29 Hic dat avaritiae causas et Coa puellis
 30 vestis et e Rubro lucida concha mari ;
 31 haec fecere malas ; hinc clavim janua sensit
 32 et coepit custos liminis esse canis ;
 33 sed pretium si grande feras, custodia victa est
 34 nec prohibent claves et canis ipse tacet.
 35 Heu ! quicumque dedit fomlam caelestis avarae,
 36 quale bonum multis attulit ille malis !
 37 Hinc fletus rixaeque sonant, haec denique causa
 38 fecit ut infamis nunc deus exstet Amor.
 39 At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
 40 eripiant partas ventus et ignis opes :
 41 quin tua tunc juvenes spectent incendia laeti,
 42 nec quisquam flammae sedulus addat aquam ;
 43 seu veniet tibi mors, nec erit qui lugeat ullus
 44 nec qui det maestas munus in exsequias.
 45 At bona quae nec avara fuit, centum licet annos
 46 vixerit, ardentem flebitur ante rogam ;
 47 atque aliquis senior veteres veneratus amores
 48 annua constructo sarta dabit tumulo
 49 et "bene" discedens dicet "placideque quiescas,
 50 terraque securae sit super ossa levis."
 51 Vera quidem moneo, sed prosunt quid mihi vera ?
 52 illius est nobis lege colendus amor ;
 53 quin etiam sedes jubeat si vendere avitas,
 54 ite sub imperium sub titulumque, Lares.
 55 Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
 56 quidquid et herbarum Thessala terra gerit,

57 et quod, ubi indomitis gregibus Venus adflat amores,
 58 hippomanes cupidae stillat ab inguine equae,
 59 si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
 60 mille alias herbas misceat illa, bibam.

T 2_5 v.1 Phoebe, fave : novus ingreditur tua templa sacerdos ;
 2 huc age cum cithara carminibusque veni :
 3 nunc te vocales impellere pollice chordas,
 4 nunc precor ad laudes flectere verba meas.
 5 Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
 6 dum cumulant aras, ad tua sacra veni ;
 7 sed nitidus pulcherque veni : nunc indue vestem
 8 sepositam, longas nunc bene pecte comas,
 9 qualem te memorant Saturno rege fugato,
 10 victori laudes concinuisse Jovi.
 11 Tu procul eventura vides, tibi deditus augur
 12 scit bene quid fati provida cantet avis,
 13 tuque regis sortes, per te praesentit haruspex,
 14 lubrica signavit cum deus exta notis ;
 15 te duce Romanos numquam frustrata Sibylla,
 16 abdita quae senis fata canit pedibus.
 17 Phoebe, sacras Messalinum sine tangere chartas
 18 vatis, et ipse, precor, quid canat illa doce.
 19 Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
 20 dicitur et raptos sustinuisse Lares
 21 nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto
 22 Ilion ardentem respiceretque deos
 23 - Romulus aeternae nondum formaverat urbis
 24 moenia, consorti non habitanda Remo ;
 25 sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae
 26 et stabant humiles in Jovis arce casae ;
 27 lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae
 28 et facta agresti lignea falce Pales,
 29 pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
 30 garrula silvestri fistula sacra deo,
 31 fistula cui semper decrescit harundinis ordo :
 32 nam calamus cera jungitur usque minor.
 33 At qua Velabri regio patet, ire solebat
 34 exiguus pulsa per vada linter aqua ;
 35 illa saepe gregis diti placitura magistro
 36 ad juvenem festa est vecta puella die,
 37 cum qua fecundi redierunt munera ruris,
 38 caseus et niveae candidus agnus ovis - :
 39 "Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
 40 Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
 41 jam tibi Laurentes adsignat Juppiter agros,
 42 jam vocat errantes hospita terra Lares ;
 43 illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
 44 unda deum caelo miserit indigetem.
 45 Ecce super fessas volitat Victoria puppes ;
 46 tandem ad Trojanos diva superba venit ;
 47 ecce mihi lucent Rutulis incendia castris :
 48 jam tibi praedico, barbaram Turne, necem.
 49 Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est
 50 Albaeque ab Ascanio condita Longa duce.
 51 Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos
 52 Ilia, Vestales deseruisse focos,

53 concubitusque tuos furtim vittasque jacentes
54 et cupidi ad ripas arma relictas dei.
55 Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas
56 dum licet : hic magnae jam locus urbis erit.
57 Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
58 qua sua de caelo prospicit arva Ceres,
59 quaque patent ortus et qua fluitantibus undis
60 Solis anhelantes abluit amnis equos.
61 Troja quidem tunc se mirabitur et sibi dicet
62 vos bene tam longa consuluisse via.
63 Vera cano : sic usque sacras innoxia laurus
64 vescar, et aeternum sit mihi virginitas."
65 Haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit,
66 jactavit fusas et caput ante comas.
67 Quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit
68 Herophile, Phyto Graia quod admonuit,
69 quod, quae Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
70 portarit sicco pertuleritque sinu -
71 hae fore dixerunt belli mala signa cometen,
72 multus ut in terras deplueretque lapis ;
73 atque tubas atque arma ferunt strepitantia caelo
74 audita et lucos praecinuisse fugam ;
75 ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
76 jungere pallentes nubilus annus equos,
77 et simulacra deum lacrimas fudisse tepentes
78 fataque vocales praemonuisse boves, -
79 haec fuerant olim : sed tu jam mitis, Apollo,
80 prodigia indomitis merge sub aequoribus,
81 et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
82 omine quo felix et sacer annus erit.
83 Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni,
84 distendet spicis horrea plena Ceres,
85 oblitus et musto feriet pede rusticus uvas,
86 dolia dum magni deficiantque lacus ;
87 ac madidus baccho sua festa Palilia pastor
88 concinet : a stabulis tunc procul este lupi ;
89 ille levis stipulae sollempnis potus acervos
90 accendet, flammam transilietque sacras ;
91 et fetus matrona dabit, natusque parenti
92 oscula comprehensis auribus eripiet,
93 nec taedebit avum parvo advigilare nepoti
94 balbaque cum puero dicere verba senem.
95 Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
96 arboris antiquae qua levis umbra cadit,
97 aut e veste sua tendent umbracula sertis
98 vincta, coronatus stabit et ipse calix ;
99 at sibi quisque dapes et festas extruet alte
100 caespitibus mensas caespitibusque torum.
101 Ingeret hic potus juvenis maledicta puellae,
102 postmodo quae votis inrita facta velit :
103 nam ferus ille suae plorabit sobrius idem
104 et se jurabit mente fuisse mala.
105 Pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
106 Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
107 Ars bona : sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
108 heu ! heu ! quam multis ars dedit ista malum !
109 Et mihi praecipue ; jaceo cum saucius annum
110 et faveo morbo, cum juvat ipse dolor,

111 usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
 112 verba potest justos aut reperire pedes.
 113 At tu, nam divum servat tutela poetas,
 114 praemoneo, vati parce, puella, sacro,
 115 ut Messalinum celebrem, cum praemia belli
 116 ante suos currus oppida victa feret,
 117 ipse gerens laurus ; lauro devinctus agresti
 118 miles "io ! " magna voce "triumphe" canet.
 119 Tunc Messalla meus pia det spectacula turbae
 120 et plaudat curru praetereunte pater.
 121 Adnue : sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,
 122 sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

T 2_6 v.1 Castra Macer sequitur : tenero quid fiet Amori ?
 2 Sit comes et collo fortiter arma gerat ?
 3 et, seu longa virum terrae via seu vaga ducent
 4 aequora, cum telis ad latus ire volet ?
 5 Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit,
 6 atque iterum erronem sub tua signa voca.
 7 Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
 8 ipse levem galea qui sibi portet aquam.
 9 Castra peto, valeatque Venus valeantque puellae :
 10 et mihi sunt vires et mihi laeta tuba est.
 11 Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
 12 excutiunt clausae fortia verba fores.
 13 Juravi quotiens rediturum ad limina numquam !
 14 Cum bene juravi, pes tamen ipse redit.
 15 Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas,
 16 si licet, extinctas aspiciamque faces !
 17 Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
 18 cogis et insana mente nefanda loqui.
 19 Jam mala finissem leto, sed credula vitam
 20 Spes fovet et fore cras semper ait melius ;
 21 Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
 22 semina quae magno faenore reddat ager ;
 23 haec laqueo volucres, haec captat harundine pisces,
 24 cum tenues hamos abdidit ante cibus ;
 25 Spes etiam valida solatur compede vinctum :
 26 crura sonant ferro, sed canit inter opus ;
 27 Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa ;
 28 ei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
 29 Parce, per immatura tuae precor ossa sororis :
 30 sic bene sub tenera parva quiescat humo.
 31 Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro
 32 et madefacta meis sarta feram lacrimis,
 33 illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
 34 et mea cum muto fata querar cinere.
 35 Non feret usque suum te propter flere clientem ;
 36 illius ut verbis, sis mihi lenta, veto,
 37 ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
 38 maestaque sopitae stet soror ante torum,
 39 qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
 40 venit ad infernos sanguinolenta lacus.
 41 Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi :
 42 non ego sum tanti, ploret ut illa semel ;
 43 nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces :
 44 lena nocet nobis, ipsa puella bona est ;

45 lena necat miserum Phryne furtimque tabellas
 46 occulto portans itque reditque sinu ;
 47 saepe, ego cum dominae dulces a limine duro
 48 agnosco voces, haec negat esse domi ;
 49 saepe, ubi nox mihi promissa est, languere puellam
 50 nuntiat aut aliquas extimuisse minas.
 51 Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
 52 quisve meam teneat, quot teneatve modis ;
 53 tunc tibi, lena, precor diras : satis anxia vivas,
 54 moverit e votis pars quotacumque deos.

T 3_1 v.1 Martis Romani festae venere kalendae
 2 - exoriens nostris hic fuit annus avis -
 3 et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
 4 perque vias urbis munera perque domos.
 5 Dicite, Pierides, quonam donetur honore
 6 seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.
 7 Carmine formosae, pretio capiuntur avare :
 8 gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
 9 Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
 10 pumex et canas tondeat ante comas,
 11 summaque praetexat tenuis fastigia chartae
 12 indicet ut nomen littera facta tuum,
 13 atque inter geminas pingantur cornua frontes :
 14 sic etenim comptum mittere oportet opus.
 15 Per vos, auctores hujus mihi carminis, oro
 16 Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
 17 ite domum cultumque illi donate libellum,
 18 sicut erit : nullus defluat inde color.
 19 Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
 20 an minor, an toto pectore deciderim.
 21 Sed primum meritam larga donate salute
 22 atque haec submisso dicite verba sono :
 23 "Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
 24 mittit et accipias munera parva rogat,
 25 teque suis jurat caram magis esse medullis,
 26 sive sibi conjunx sive futura soror ;
 27 sed potius conjunx : hujus spem nominis illi
 28 auferet extincto pallida Ditis aqua."

T 3_2 v.1 Qui primus caram juveni carumque puellae
 2 eripuit juvenem, ferreus ille fuit ;
 3 durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
 4 vivere et erepta conjuge qui potuit.
 5 Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro
 6 ingenio : frangit fortia corda dolor ;
 7 nec mihi vera loqui pudor est vitaeque fateri,
 8 tot mala perpessae, taedia nata meae.
 9 Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram
 10 candidaque ossa supra nigra favilla teget,
 11 ante meum veniat longos incompta capillos
 12 et fleat ante meum maesta Neaera rogam ;
 13 sed veniat carae matris comitata dolore :
 14 maereat haec genero, maereat illa viro.
 15 Praefatae ante meos Manes animamque precatae

16 perfusaeque pias ante liquore manus,
 17 pars quae sola mei superabit corporis, ossa
 18 incinctae nigra candida veste legent
 19 et primum annoso spargent collecta lyaeo,
 20 mox etiam niveo fundere lacte parent,
 21 post haec carbaseis umorem tollere velis
 22 atque in marmorea ponere sicca domo.
 23 Illic quas mittit dives Panchaia merces
 24 Eoique Arabes, dives et Assyria,
 25 et nostri memores lacrimae fundantur eodem :
 26 sic ego componi versus in ossa velim.
 27 Sed tristem mortis demonstret littera causam
 28 atque haec in celebri carmina fronte notet :
 29 Lygdamus hic situs est : dolor huic et cura Neerae,
 30 conjugis ereptae, causa perire fuit.

T 3_3 v.1 Quid prodest caelum votis implesse, Neaera,
 2 blandaque cum multa tura dedisse prece,
 3 non ut marmorei prodirem e limine tecti,
 4 insignis clara conspicuusque domo,
 5 aut ut multa mei renovarent jugera tauri
 6 et magnas messes terra benigna daret,
 7 sed tecum ut longae sociarem gaudia vitae
 8 inque tuo caderet nostra senecta sinu,
 9 tum cum permenso defunctus tempore lucis
 10 nudus Lethaea cogerer ire rate ?
 11 Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri,
 12 arvaque si findant pingua mille boves ?
 13 Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
 14 Taenare sive tuis, sive Caryste tuis,
 15 et nemora in domibus sacros imitantia lucos
 16 aurataeque trabes marmoreumque solum ?
 17 Quidve in Erythraeo legitur quae litore concha
 18 tinctaque Sidonio murice lana juvat,
 19 et quae praeterea populus miratur ? In illis
 20 invidia est : falso plurima vulgus amat.
 21 Non opibus mentes hominum curaque levantur
 22 nec Fortuna sua tempora lege regit.
 23 Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neaera :
 24 at sine te regum munera nulla volo.
 25 O niveam quae te poterit mihi reddere lucem !
 26 O mihi felicem terque quaterque diem !
 27 At si, pro dulci reditu quaecumque voventur,
 28 audiat aversa non meus aure deus,
 29 nec me regna jvant nec Lydius aurifer amnis
 30 nec quas terrarum sustinet orbis opes.
 31 Haec alii cupiant ; liceat mihi paupere cultu
 32 securo cara conjuge posse frui.
 33 Adsis et timidis faveas, Saturnia, votis,
 34 et faveas concha, Cypria, vecta tua.
 35 Aut si fata negant reditum tristesque sorores,
 36 stamina quae ducunt quaeque futura neunt,
 37 me vocet in vastos amnes nigramque paludem
 38 dives in ignava luridus Orcus aqua.

T 3_4 v.1 Di meliora ferant, nec sint mihi somnia vera,
 2 quae tulit hesternae pessima nocte quies.
 3 Ite procul vani falsisque avertite visus,
 4 desinite in nobis quaerere velle fidem.
 5 Divi vera monent, venturae nuntia sortis
 6 vera monent Tuscis exta probata viris ;
 7 somnia fallaci ludunt temeraria nocte
 8 et pavidas mentes falsa timere jubent ;
 9 et natum in curas hominum genus omina noctis
 10 farre pio placant et saliente sale !
 11 Et tamen, utcumque est, sive illi vera moneri,
 12 mendaci somno credere sive volent,
 13 efficiat vanos noctis Lucina timores
 14 et frustra inmeritum pertimuisse velit,
 15 si mea nec turpi mens est obnoxia facto
 16 nec laesit magnos impia lingua deos.
 17 Jam Nox aetherium nigris emensa quadrigis
 18 mundum caeruleo laverat amne rotas,
 19 nec me sopierat menti deus utilis aegrae :
 20 Somnus sollicitas deficit ante domos.
 21 Tandem, cum summo Phoebus prospexit ab ortu,
 22 pressit languentis lumina sera quies.
 23 Hic juvenis casta redimitus tempora lauro
 24 est visus nostra ponere sede pedem.
 25 Non illo quicquam formosius ulla priorum
 26 aetas, heroum nec tulit ulla domus.
 27 Intonsi crines longa cervice fluebant,
 28 stillabat Syrio myrtea rore coma.
 29 Candor erat qualem praefert Latonia Luna,
 30 et color in niveo corpore purpureus,
 31 ut juveni primum virgo deducta marito
 32 inficitur teneras ore rubente genas,
 33 et cum contexunt amarantis alba puellae
 34 lilia et autumnis candida mala rubent.
 35 Ima videbatur talis includere palla :
 36 namque haec in nitido corpore vestis erat.
 37 Artis opus rarae, fulgens testudine et auro
 38 pendebat laeva garrula parte lyra.
 39 Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
 40 felices cantus ore sonante dedit ;
 41 sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
 42 edidit haec dulci tristia verba modo :
 43 "Salve, cura deum : casto nam rite poetae
 44 Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent ;
 45 sed proles Semelae Bacchus doctaeque sorores
 46 dicere non norunt quid ferat hora sequens ;
 47 at mihi fatorum leges aevisque futuri
 48 eventura pater posse videre dedit ;
 49 quare ego quae dico non fallax accipe vates
 50 quodque deus vero Cynthius ore feram.
 51 Tantum cara tibi quantum nec filia matri,
 52 quantum nec cupido bella puella viro,
 53 pro qua sollicitas caelestia numina votis,
 54 quae tibi securos non sinit ire dies
 55 et, cum te fusco Somnus velavit amictu,
 56 vanum nocturnis fallit imaginibus,
 57 carminibus celebrata tuis formosa Neaera
 58 alterius mavult esse puella viri,

59 diversasque suas agitat mens impia curas,
 60 nec gaudet casta nupta Neaera domo.
 61 A crudele genus nec fidum femina nomen !
 62 A pereat, didicit fallere si qua virum !
 63 Sed flecti poterit : mens est mutabilis illis ;
 64 tu modo cum multa bracchia tende fide.
 65 Saevus Amor docuit validos temptare labores,
 66 saevus Amor docuit verbera posse pati.
 67 Me quondam Admeti niveas pavisse juvencas
 68 non est in vanum fabula ficta jocum ;
 69 tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora
 70 nec similes chordis reddere voce sonos,
 71 sed perlucenti cantum meditabar avena
 72 ille ego Latonae filius atque Jovis.
 73 Nescis quid sit amor, juvenis, si ferre recusas
 74 immitem dominam conjugiumque ferum.
 75 Ergo ne dubita blandas adhibere querellas :
 76 vincuntur molli pectora dura prece.
 77 Quod si vera canunt sacris oracula templis,
 78 haec illi nostro nomine dicta refer :
 79 hoc tibi conjugium promittit Delius ipse ;
 80 felix hoc, alium desine velle virum."
 81 Dixit, et ignavus defluxit corpore somnus.
 82 A ego ne possim tanta videre mala !
 83 Nec tibi crediderim votis contraria vota
 84 nec tantum crimen pectore inesse tuo :
 85 nam te nec vasti genuerunt aequora ponti
 86 nec flammam volvens ore Chimaera fero
 87 nec canis anguinea redimitus terga caterva,
 88 cui tres sunt linguae tergeminumque caput,
 89 Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
 90 nec te conceptam saeva leaena tulit,
 91 barbara nec Scythiae tellus horrendave Syrtis,
 92 sed culta et duris non habitanda domus
 93 et longe ante alias omnes mitissima mater
 94 isque pater quo non alter amabilior.
 95 Haec deus in melius crudelia somnia vertat
 96 et jubeat tepidos inrita ferre Notos.

T 3_5 v.1 Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
 2 unda sub aestivum non adeunda Canem,
 3 nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
 4 cum se purpureo vere remittit humus.
 5 At mihi Persephone nigram denuntiat horam :
 6 immerito juveni parce nocere, dea.
 7 Non ego temptavit nulli temeranda virorum
 8 audax laudandae sacra docere deae,
 9 nec mea mortiferis infecit pocula sucis
 10 dextera nec cuiquam trita venena dedit,
 11 nec nos sacrilegos templis admovimus ignes,
 12 nec cor sollicitant facta nefanda meum,
 13 nec nos insanae meditantibus jurgia mentis
 14 impia in adversos solvimus ora deos.
 15 Et nondum cani nigros laesere capillos,
 16 nec venit tardo curva senecta pede :
 17 natalem primo nostrum videre parentes,
 18 cum cecidit fato consul uterque pari.

19 Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis
 20 et modo nata mala vellere poma manu ?
 21 Parcite, pallentes undas quicumque tenetis
 22 duraque sortiti tertia regna dei.
 23 Elysios olim liceat cognoscere campos
 24 Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
 25 cum mea rugosa pallebunt ora senecta
 26 et referam pueris tempora prisca senex.
 27 Atque utinam vano nequiquam terrear aestu !
 28 Languent ter quinos sed mea membra dies.
 29 At vobis Tuscae celebrantur numina lymphae
 30 et facilis lenta pellitur unda manu.
 31 Vivite felices, memores et vivite nostri,
 32 sive erimus seu nos fata fuisse velint.
 33 Interea nigras pecudes promittite Diti
 34 et nivei lactis pocula mixta mero.

T 3_6 v.1 Candide Liber, ades - sic sit tibi mystica vitis
 2 semper, sic hedera tempora vincta feras -
 3 aufer et, ipse, meum, pariter medicande, dolorem :
 4 saepe tuo cecidit munere victus amor.
 5 Care puer, madeant generoso pocula baccho,
 6 et nobis prona funde Falerna manu.
 7 Ite procul durum curae genus, ite labores ;
 8 fulserit hic niveis Delius alitibus.
 9 Vos modo proposito dulces faveatis amici,
 10 neve neget quisquam me duce se comitem,
 11 aut si quis vini certamen mite recusat,
 12 fallat eum tecto cara puella dolo.
 13 Ille facit dites animos deus, ille ferocem
 14 contudit et dominae misit in arbitrium,
 15 Armenias tigres et fulvas ille leaenas
 16 vicit et indomitis mollia corda dedit.
 17 Haec Amor et majora valet ; sed poscite Bacchi
 18 munera : quem vestrum pocula sicca juvant ?
 19 Convenit ex aequo nec torvus Liber in illis
 20 qui se quique una vina jocosa colunt,
 21 nunc venit iratus nimium nimiumque severis :
 22 qui timet irati numina magna, bibat.
 23 Quales his poenas qualis quantusque minetur,
 24 Cadmeae matris praeda cruenta docet.
 25 Sed procul a nobis hic sit timor, illaque, si qua est,
 26 quid valeat laesi sentiat ira dei.
 27 Quid precor a demens ? Venti temeraria vota,
 28 aerae et nubes diripienda ferant.
 29 Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neaera,
 30 sis felix et sint candida fata tua.
 31 At nos securae reddamus tempora mensae :
 32 venit post multos una serena dies.
 33 Ei mihi, difficile est imitari gaudia falsa,
 34 difficile est tristi fingere mente jocum,
 35 nec bene mendaci risus componitur ore,
 36 nec bene sollicitis ebria verba sonant.
 37 Quid queror infelix ? Turpes discedite curae :
 38 odit Lenaeus tristia verba pater.
 39 Gnosia, Theseae quondam perjuriam linguae
 40 flevisti ignoto sola relictam mari :

41 sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
 42 ingrati referens impia facta viri.
 43 Vos ego nunc moneo : felix, quicumque dolore
 44 alterius disces posse cavere tuos.
 45 Nec vos aut capiant pendentia bracchia collo
 46 aut fallat blanda sordida lingua fide ;
 47 etsi perque suos fallax juravit ocellos
 48 Junonemque suam perque suam Venerem,
 49 nulla fides inerit : perjuriam ridet amantum
 50 Juppiter et ventos inrita ferre jubet.
 51 Ergo quid totiens fallacis verba puellae
 52 conqueror ? Ite a me, seria verba, precor.
 53 Quam vellem tecum longas requiescere noctes
 54 et tecum longos pervigilare dies,
 55 perfida nec merito nobis inimica merenti,
 56 perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen !
 57 Naida Bacchus amat : cessas, o lente minister ?
 58 Temperet annosum Marcia lympha merum.
 59 Non ego, si fugit nostrae conviviam mensae
 60 ignotum cupiens vana puella torum,
 61 sollicitus repetam tota suspiria nocte.
 62 Tu, puer, i, liquidum fortius adde merum.
 63 Jam dudum Syrio madefactus tempora nardo
 64 debueram sertis implicuisse comas.

T 3_7 v.1 Te, Messalla, canam, quamquam me cognita virtus
 2 terret ; ut infirmas nequeant subsistere vires,
 3 incipiam tamen, ac meritas si carmina laudes
 4 deficiant, (humilis tantis sim conditor actis
 5 nec tua praeter te chartis intexere quisquam
 6 facta queat, dictis ut non majora supersint,)
 7 est nobis voluisse satis ; nec munera parva
 8 respueris : etiam Phoebos gratissima dona
 9 Cres tulit, et cunctis Baccho jucundior hospes
 10 Icarus, ut puro testantur sidera caelo
 11 Erigoneque Canisque, neget ne longior aetas ;
 12 quin etiam Alcides, deus ascensurus Olympum,
 13 laeta Molorcheis posuit vestigia tectis,
 14 parvaeque caelestis placavit mica, nec illis
 15 semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
 16 Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
 17 inde alios alioque memor componere versus.
 18 Alter dicat opus magni mirabile mundi,
 19 qualis in immenso desederit aere tellus,
 20 qualis et in curvum pontus confluerit orbem,
 21 et vagus, e terris qua surgere nititur, aer,
 22 huic et contextus passim fluat igneus aether,
 23 pendentique super claudantur ut omnia caelo ;
 24 at quodcumque meae poterunt audere camenae,
 25 seu tibi par poterunt seu, quod spes abnuit, ultra
 26 sive minus (certeque canent minus), omne vovemus
 27 hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
 28 Nam quamquam antiquae gentis superant tibi laudes,
 29 non tua majorum contenta est gloria fama
 30 nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,
 31 sed generis priscos contendis vincere honores,
 32 quam tibi majores majus decus ipse futuris :

33 at tua non titulus capiet sub nomine facta,
34 aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
35 convenientque tuas cupidi componere laudes
36 undique quique canent vincto pede quique soluto ;
37 quis potius, certamen erit : sim victor in illis,
38 ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
39 Nam quis te majora gerit castrisve forove ?
40 Nec tamen hic aut hic tibi laus majorve minorve,
41 justa pari premitur veluti cum pondere libra,
42 prona nec hac plus parte sedet nec surgit ab illa,
43 qualis, inaequatum si quando onus urget utrimque,
44 instabilis natat alterno depressior orbe.
45 Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
46 non alius sedare queat ; seu iudicis ira
47 sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
48 Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
49 Nestora vel parvae magnum decus urbis Ulixem,
50 vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
51 saecula fertilibus Titan decurreret horis,
52 ille per ignotas audax erraverit urbes,
53 qua maris extremis tellus includitur undis :
54 nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,
55 nec valuit lotos coeptos avertere cursus,
56 cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis
57 victa Maroneo foedatus lumina baccho ;
58 vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos,
59 incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque,
60 nobilis Artacie gelida quos inrigat unda ;
61 solum nec doctae verterunt pocula Circes,
62 quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis
63 aptaque vel cantu veteres mutare figuras ;
64 Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces,
65 quis numquam candente dies apparuit ortu,
66 seu supra terras Phoebus seu curreret infra ;
67 vidit ut inferno Plutonis subdita regno
68 magna deum proles levibus discurreret umbris,
69 praeteriitque cita Sirenum litora puppi ;
70 illum inter geminae nantem confinia mortis
71 nec Scyllae saevo conterruit impetus ore,
72 cum canibus rabidas inter fera serperet undas,
73 nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
74 vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
75 vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
76 Non violata vagi sileantur pascua Solis,
77 non amor et fecunda Atlantidos arva Calypsus,
78 finis et erroris miseri Phaeacia tellus.
79 Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
80 fabula sive novum dedit his erroribus orbem,
81 sit labor illius, tua dum facundia major.
82 Jam te non alius belli tenet aptius artes,
83 qua deceat tutam castris praeducere fossam,
84 qualiter adversos hosti defigere cervos,
85 quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
86 fontis ubi dulces erumpat terra liquores,
87 ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
88 laudis ut adsiduo vigeat certamine miles,
89 quis tardamve sudem melius celeremve sagittam
90 jecerit aut lento perfregerit obvia pilo,

91 aut quis equum celeremve arto compescere freno
 92 possit et effusas tardo permittere habenas
 93 inque vicem modo directo contendere passu,
 94 seu libeat, curvo brevius convertere gyro,
 95 quis parma, seu dextra velit seu laeva, tueri,
 96 sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae
 97 amplior aut signata cita loca tangere funda.
 98 Jam simul audacis venient certamina Martis
 99 adversisque parent acies concurrere signis,
 100 tum tibi non desit faciem componere pugnae,
 101 seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
 102 rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo,
 103 seu libeat duplicem sejunctim cernere martem,
 104 dexter uti laevum teneat dextrumque sinister
 105 miles sitque duplex gemini victoria casus.
 106 At non per dubias errant mea carmina laudes :
 107 nam bellis experta cano. Testis mihi victae
 108 fortis Iapydiae miles, testis quoque fallax
 109 Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes,
 110 testis Arupinis et pauper natus in arvis,
 111 quem si quis videat vetus ut non fregerit aetas,
 112 terna minus Pyliae miretur saecula famae :
 113 namque senex longae peragit dum tempora vitae,
 114 centum fecundos Titan renovaverit annos,
 115 ipse tamen velox celerem super edere corpus
 116 audet equum validisque sedet moderator habenis.
 117 Te duce non alias conversus terga Domator
 118 libera Romanae subjecit colla catenae.
 119 Nec tamen his contentus eris : majora peractis
 120 instant, compertum est veracibus ut mihi signis,
 121 quis Amythaonius nequeat certare Melampus.
 122 Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine vestem
 123 indueras oriente die duce fertilis anni,
 124 splendidior liquidis cum Sol caput extulit undis
 125 et fera discordes tenuerunt flamina venti,
 126 curva nec adsuetos egerunt flumina cursus,
 127 quin rapidum placidis etiam mare constitit undis,
 128 ulla nec aerias volucris perlabitur auras
 129 nec quadrupes densas depascitur aspera silvas,
 130 quin largita tuis sunt muta silentia votis.
 131 Juppiter ipse levi vectus per inania curru
 132 adfuit et caelo vicinum liquit Olympum
 133 intentaque tuis precibus se praebuit aure
 134 cunctaque veraci capite adnuit : additus aris
 135 laetior eluxit structos super ignis acervos.
 136 Quin hortante deo magnis insistere rebus
 137 incipe ; non idem tibi sint aliisque triumphis :
 138 non te vicino remorabitur obvia marte
 139 Gallia nec latis audax Hispania terris
 140 nec fera Theraeo tellus obsessa colono,
 141 nec qua vel Nilus vel regia lympha Choaspes
 142 profluit aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes,
 143 aret Araccaeis aut unda Oroatia campis,
 144 nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe,
 145 impia nec saevis celebrans convivia mensis
 146 ultima vicinus Phoebus tenet arva Padaeus,
 147 quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos.
 148 Quid moror ? Oceanus ponto qua continet orbem,

149 nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
150 Te manet invictus Romano marte Britannus
151 teque interjecto mundi pars altera sole.
152 Nam circumfuso consistit in aere tellus
153 et quinque in partes toto disponitur orbe.
154 Atque duae gelido vastantur frigore semper :
155 illic et densa tellus absconditur umbra,
156 et nulla incepto perlabitur unda liquore,
157 sed durata riget densam in glaciemque nivemque,
158 quippe ubi non umquam Titan super egerit ortus.
159 At media est Phoebi semper subjecta calori,
160 seu propior terris aestivum fertur in orbem
161 seu celer hibernas properat decurrere luces ;
162 non igitur presso tellus exurgit aratro,
163 nec frugem segetes praebent neque pabula terrae ;
164 non illic colit arva deus, Bacchusve Ceresve,
165 nulla nec exustas habitant animalia partes.
166 Fertilis hanc inter posita est interque rigentes
167 nostraque et huic adversa solo pars altera nostro,
168 quas similis utrimque tenens vicinia caeli
169 temperat, alter et alterius vires necat aer ;
170 hinc placidus nobis per tempora vertitur annus,
171 hinc et colla jugo didicit submittere taurus
172 et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
173 tondeturque seges maturos annua partus,
174 et ferro tellus, pontus confinditur aere,
175 quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
176 Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
177 solus utroque idem diceris magnus in orbe.
178 Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
179 ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
180 Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
181 Valgius : aeterno propior non alter Homero.
182 Languida non noster peragit labor otia, quamvis
183 Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.
184 Nam mihi, cum magnis opibus domus alta niteret,
185 cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
186 horrea fecundas ad deficientia messis,
187 cuique pecus denso pascebant agmine colles,
188 et domino satis et nimium furique lupoque,
189 nunc desiderium superest : nam cura novatur,
190 cum memor ante actos semper dolor admonet annos.
191 Sed licet asperiora cadant spolierque relictis,
192 non te deficient nostrae memorare camenae.
193 Nec solum tibi Pierii tribuentur honores :
194 pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
195 adversis hiberna licet tumeant freta ventis,
196 pro te vel densis solus subsistere turmis
197 vel parvum Aetnaeae corpus committere flammae.
198 Sum quodcumque, tuum est. Nostri si parvula cura
199 sit tibi, quanta libet, si sit modo, non mihi regna
200 Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
201 posse Meleteas nec mallet vincere chartas.
202 Quod tibi si versus noster, totusve minusve,
203 vel bene sit notus, summo vel inerret in ore,
204 nulla mihi statuunt finem te fata canendi.
205 Quin etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa,
206 seu matura dies celerem properat mihi mortem,

207 longa manet seu vita, tamen, mutata figura
 208 seu me finget equum rigidos percurrere campos
 209 doctum seu tardi pecoris sim gloria taurus
 210 sive ego per liquidum volucris vehar aera pennis,
 211 quandocumque hominem me longa receperit aetas,
 212 inceptis de te subtexam carmina chartis.

T 3_8 v.1 Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis ;
 2 spectatum e caelo, si sapis, ipse veni ;
 3 hoc Venus ignoscet ; at tu, violente, caveto
 4 ne tibi miranti turpiter arma cadant :
 5 illius ex oculis, cum vult exurere divos,
 6 accendit geminas lampadas acer Amor.
 7 Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
 8 componit furtim subsequiturque Decor ;
 9 seu solvit crines, fuis decet esse capillis :
 10 seu compsit, comptis est veneranda comis.
 11 Urit, seu Tyria voluit procedere palla :
 12 urit, seu nivea candida veste venit.
 13 Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
 14 mille habet ornatus, mille decenter habet.
 15 Sola puellarum digna est cui mollia caris
 16 vellera det sucis bis madefacta Tyros,
 17 possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
 18 cultor odoratae dives Arabs segetis,
 19 et quascumque niger rubro de litore gemmas
 20 proximus Eois colligit Indus aquis.
 21 Hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,
 22 et testudinea Phoebe superbe lyra.
 23 Hoc sollemne sacrum multos haec sumet in annos :
 24 dignior est vestro nulla puella choro.

T 3_9 v.1 Parce meo juveni, seu quis bona pascua campi
 2 seu colis umbrosi devia montis aper,
 3 nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes ;
 4 incolumem custos hunc mihi servet Amor.
 5 Sed procul abducit venandi Delia cura :
 6 o pereant silvae deficientque canes !
 7 Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
 8 claudentem teneras laedere velle manus ?
 9 Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum
 10 candidaque hamatis crura notare rubis ?
 11 Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
 12 ipsa ego per montes retia torta feram,
 13 ipsa ego velocis quaeram vestigia cervi
 14 et demam celeri ferrea vincla cani.
 15 Tunc mihi, tunc placeant silvae, si, lux mea, tecum
 16 arguar ante ipsas concubuisse plagas :
 17 tunc veniat licet ad casses, inlaesus abibit,
 18 ne veneris cupidae gaudia turbet, aper.
 19 Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianae,
 20 caste puer, casta retia tange manu ;
 21 et, quaecumque meo furtim subrepat amori,
 22 incidat in saevas diripienda feras.
 23 At tu venandi studium concede parenti,
 24 et celer in nostros ipse recurre sinus.

- T 3_10 v.1 Huc ades et tenerae morbos expelle puellae,
 2 huc ades, intonsa Phoebe superbe coma ;
 3 crede mihi, propera, nec te jam, Phoebe, pigebit
 4 formosae medicas applicuisse manus.
 5 Effice ne macies pallentes occupet artus,
 6 neu notet informis candida membra color,
 7 et quodcumque mali est et quidquid triste timemus,
 8 in pelagus rapidis evehat amnis aquis.
 9 Sancte, veni, tecumque feras, quicumque sapes,
 10 quicumque et cantus corpora fessa levant ;
 11 neu juvenem torque, metuit qui fata puellae
 12 votaue pro domina vix numeranda facit ;
 13 interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
 14 dicit in aeternos aspera verba deos.
 15 Pone metum, Cerinthe : deus non laedit amantes ;
 16 tu modo semper ama : salva puella tibi est ;
 17 nil opus est fletu : lacrimis erit aptius uti,
 18 si quando fuerit tristior illa tibi.
 19 At nunc tota tua est, te solum candida secum
 20 cogitat, et frustra credula turba sedet.
 21 Phoebe, fave : laus magna tibi tribuetur in uno
 22 corpore servato restituuisse duos.
 23 Jam celebrer, jam laetus eris, cum debita reddet
 24 certatim sanctis laetus uterque focus ;
 25 tunc te felicem dicet pia turba deorum,
 26 optabunt artes et sibi quisque tuas.
- T 3_11 v.1 Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
 2 atque inter festos semper habendus erit :
 3 te nascente novum Parcae cecinere puellis
 4 servitium et dederunt regna superba tibi.
 5 Uror ego ante alias : juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
 6 si tibi de nobis mutuus ignis adest ;
 7 mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
 8 perque tuos oculos per Geniumque rogo.
 9 Mane Geni, cape tura libens votisque faveto,
 10 si modo, cum de me cogitat, ille calet.
 11 Quod si forte alios jam nunc suspiret amores,
 12 tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
 13 Nec tu sis injusta, Venus : vel serviat aequae
 14 vinctus uterque tibi vel mea vincla leva ;
 15 sed potius valida teneamur uterque catena,
 16 nulla queat posthac quam soluisse dies.
 17 Optat idem juvenis quod nos, sed tectius optat :
 18 nam pudet haec illum dicere verba palam.
 19 At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
 20 adnue : quid refert, clamne palamne roget ?
- T 3_12 v.1 Natalis Juno, sanctos cape turis acervos,
 2 quos tibi dat tenera docta puella manu ;
 3 tota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit,
 4 staret ut ante tuos conspicienda focus.
 5 Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat ;
 6 est tamen, occulte cui placuisse velit.

- 7 At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,
8 sed juveni, quaeso, mutua vincla para.
9 Sic bene compones : ullae non ille puellae
10 servire aut cuiquam dignior illa viro.
11 Nec possit cupidos vigilans deprendere custos
12 fallendique vias mille ministret Amor.
13 Adnue purpureaque veni perlucida palla :
14 ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero ;
15 praecipit et natae mater studiosa, quod optat :
16 illa aliud tacita jam sua mente rogat ;
17 uritur, ut celeres urunt altaria flammae,
18 nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
19 Sis juveni grata ac, veniet cum proximus annus,
20 hic idem votis jam vetus exstet amor.
- T 3_13 v.1 Tandem venit amor, qualem texisse pudori
2 quam nudasse alicui sit mihi fama magis.
3 Exorata meis illum Cytherea Camenis
4 attulit in nostrum deposuitque sinum.
5 Exsolvit promissa Venus : mea gaudia narret,
6 dicetur si quis non habuisse sua.
7 Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
8 ne legat id nemo quam meus ante, velim,
9 sed peccasse juvat, vultus componere famae
10 taedet : cum digno digna fuisse ferar.
- T 3_14 v.1 Invisus natalis adest, qui rure molesto
2 et sine Cerintho tristis agendus erit.
3 Dulcius urbe quid est ? An villa sit apta puellae
4 atque Arretino frigidus amnis agro ?
5 Jam, nimium Messalla mei studiose, quiescas ;
6 non tempestivae saepe, propinque, viae.
7 Hic animum sensusque meos abducta relinquo
8 arbitrio, quamvis non sinis esse, meo.
- T 3_15 v.1 Scis iter ex animo sublatum triste puellae ?
2 Natali Romae jam licet esse tuo.
3 Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
4 qui nec opinanti nunc tibi forte venit.
- T 3_16 v.1 Gratum est, securus multum quod jam tibi de me
2 permittis, subito ne male inepta cadam.
3 Sit tibi cura togae potior pressumque quasillo
4 scortum quam Servi filia Sulpicia :
5 solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est
6 ne cedam ignoto maxima causa toro.
- T 3_17 v.1 Estne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
2 quod mea nunc vexat corpora fessa calor ?
3 A ego non aliter tristes evincere morbos
4 optarim, quam te si quoque velle putem.
5 At mihi quid prosit morbos evincere, si tu
6 nostra potes lento pectore ferre mala ?

- T 3_18 v.1 Ne tibi sim, mea lux, aequae jam fervida cura
 2 ac videor paucos ante fuisse dies,
 3 si quicquam tota commisi stulta juventa
 4 cujus me fatear paenituisse magis,
 5 hesternam quam te solum quod nocte reliqui,
 6 ardorem cupiens dissimulare meum.
- T 3_19 v.1 Nulla tuum nobis subducet femina lectum :
 2 hoc primum juncta est foedere nostra Venus.
 3 Tu mihi sola places, nec jam te praeter in urbe
 4 formosa est oculis ulla puella meis.
 5 Atque utinam posses uni mihi bella videri !
 6 Displiceas aliis : sic ego tutus ero.
 7 Nil opus invidia est, procul absit gloria vulgi :
 8 qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
 9 Sic ego secretis possum bene vivere silvis,
 10 qua nulla humano sit via trita pede.
 11 Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
 12 lumen, et in solis tu mihi turba locis.
 13 Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
 14 mittetur frustra deficientque Venus ;
 15 hoc tibi sancta tuae Junonis numina juro,
 16 quae sola ante alios est mihi magna deos.
 17 Quid facio demens ? Heu ! Heu ! mea pignora cedo ;
 18 juravi stulte : proderat iste timor.
 19 Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures :
 20 hoc peperit misero garrula lingua malum.
 21 Jam faciam quodcumque voles, tuus usque manebo,
 22 nec fugiam notae servitium dominae,
 23 sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras :
 24 haec notat injustos supplicibusque favet.
- T 3_20 v.1 Rumor ait crebro nostram peccare puellam
 2 nunc ego me surdis auribus esse velim.
 3 Crimina non haec sunt nostro sine facta dolore :
 4 quid miserum torques, rumor acerbe ? Tace.